OBSERVATIONUM
IN
PROPERTII CARMINA
SPECIMEN

EDIDIT,

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

ET

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS PERMISSU

IN JURIDICO AUDITORIO

H. X. IDIBUS SEPTEMBR. A. MDCCCXVII.

PUBLICE DEFENSURUS,

CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS NOBBE,

DOCTOR PHILOS. ET AA. LL. MAG., SCHOL. NIC. COLLEG. III. ET SOCIET. PHILOL. LIPS. SODAL. HONOR.

ASSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO,

JOANNE GODOFREDO STALLBAUM,

ZAASCHA - MISNICO, REG. SEM. PHILOL. SOD. ORD.

LIPSIAE,

IN COMM. AP. JO. AUG. GLO. WEIGEL.

MDCCCXVII.

VIRIS

MAGNIFICIS ILLUSTRIBUS

CONSULTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

AMPLISSIMIS PRUDENTISSIMIS

CIVITATIS LIPSIENSIS

CONSULIBUS

PROCONSULIBUS AEDILIBUS

PRAETORIBUS

RELIQUISQUE SENATORIBUS

GRAVISSIMIS

PATRONIS

OMNI OBSERVANTIA ET PIETATE COLENDIS.

Vestris nominibus, PATRES SUMME REVERENDI, ut has juvenilium studiorum primitias inscriberem, grati animi pietas postulat. Jam annus est, quum me ad exteros ire parantem, tum amoenitas Lipsiae, tum VESTRA insignis benevolentia retinuit. Duobus igitur modis me VOBIS obstrictum esse sentio, quod me et tam honorifico desideratoque munere ornastis, et in hac urbe, quae sub VESTRIS floret auspiciis, manere voluistis. Quamobrem quo magis dignum tanto beneficio grati sensus documentum edere cupio, eo vehementius doleo, quod hoc oblatum VOBIS opusculum tenue exiguumque esse intelligo. Quem tamen dolorem duo maxime minuunt, quum ejus,

quem meorum sensuum ad VOS nisi interpretem, Propertii sententia:

„In magnis et voluisse sat est.“

tum, qua, ut rerum mearum praesidio, inprimis confido, VESTRA incredibilis clementia; cui ut sim quam maxime commendatus, id est, quod in votis habeo.

Magnificorum Illustrium Splendidissimorum Nominum Vestrorum

Scrib. Lipsiae,
mense Septembri,
a. MDCCCXVII.

cultor studiosissimus,

N.

CONSPECTUS.

Introductio.

De cautionibus in emendando interpretandoque Propertio adhibendis et melioribus quibusdam ineundis rationibus. Idcirco II, 13, 25. luculentissimum arbitrariae criseos interpretationisque exemplum propositum.

Cap. I.

De varia II, 13, 25. et vera lectione.

Cap. II.

Sedem distichi (II, 13, 25 et 26.), neque solius, neque una cum toto segmento aliquo mutandam esse; adversus Broukhus. et Burmann. II. et Scaligeri assentatores omnino. De fide codd. Mss. ex primarii cod. pretio recte aestimanda. De cod. primario. De cavenda, tum transpositione distichorum l. II. et III., tum disjunctione carminum. De carminum laxa subinde compositione e poëtae scribendi modo explicanda.

Cap. III.

Libros II. et III. non uno tempore editos, neque igitur tres in II. (13, 25.) commemorari potuisse: adv. Frid. Gottlob. Barthium et Beroaldum. Utrumque librum diverso tempore editum esse, ob eorum diversam naturam et ob diversa novissimorum temporum vestigia probabile. De diversa librorum natura, in pentametris maxime conspicua, in trisyllaba aut polysyllaba exeuntibus. De tempore, et novissimarum cujusque libri rerum, aliunde cognitarum, et librorum editionis recte constituendo.

Cap. IV.

De Lachmanni conjectura, „librum II. ex duobus coaluisse," et de tribus hanc in rem ab eo allatis rationibus: 1) De libr. II. lacunis. De Servii, Fulgentii, Ovidii testimoniis, lacunae suspicionem moventibus, recte intelligendis. 2) De II, 13, 25. 3) De II, 9. et 10.

Cap. V.

De loci II, 13, 25. simplici et vero sensu.

Sexti Aurelii Propertii carmina, quanquam omni tempore magni sunt habita [1]), tamen, quod non ad omnium captum aeque sunt facilia, a paucis tantum tractata olim et a paucioribus etiam descripta esse, atque aevo medio prorsus delituisse mihi videntur. Unde non mirum est, quod ex tanta scriptorum codd. paucitate unus modo post instaurata antiquarum litterarum studia superstes fuerit, isque diuturno situ valde depravatus. Ex quo solo quum reliqui, qui hucusque inter se sunt collati, fluxissent omnes, hi parum pretii et auctoritatis habere plerisque viris criticis visi sunt. Quare diplomaticae usus criseos, cuius est codd. Mss. principumque edd. pretium expendere, et ad optimorum auctoritatem scriptoris textum restituere, in reficiendis Propertii carminibus, praesertim post Scaligerum, paene nullus fuit, aut, si quis, saltem perexiguus. Plerique enim omnes, quam in comparandis inter se libris operam ponere et consumere otium, exercere ingenium et doctrinam ostentare, atque verba et versuum ordinem suopte arbitrio mutare, quam ex codd. testimonio, inopportuno sane talis licentiae impedimento, servare maluerunt. Incredibili saepe audacia mutata verba et nomina, disticha transposita, carmina, vel consuta, vel dissecta, integrorum segmenta carminum in fragmentorum numerum relata, fragmenta cum carminibus coagmentata sunt. Neque magis certa est, de vita Propertii et de eius carminibus, quae ex his ipsis, perperam subinde intellectis, eruitur, historia. Nam quo pauciora insunt, quoque incertiora eadem

1) Vid. Viror. doctor. de Propertio Judicia a Broukhusio congesta, tum in ipsius ed., tum in Vulpiana et Barth. descripta.

vestigia temporum, eo magis ambigua certorum annorum notatio esse intelligitur. Nihilo minus Vulpii Barthii aliorumque hoc in genere studia maximis digna sunt laudibus. Neque vero nunc, aut merita horum celebrare, aut illorum vitia perstringere, sed potius de adhibendis in restituendo interpretandoque Propertio cautionibus et melioribus rationibus ineundis quaerere juvat. „Quod quidem ita faciam, ut praecipue unius exemplo versiculi ostendam, neque scripturam verborum aut versuum sedem mutari, neque carmina aut volumina, vel divelli, vel conjungi, neque adhiberi eadem ad componendam historiam debere, nisi, vel ob incerta codd. indicia, vel ob ingenium poëtae et usum, vel ob sententiam loci et totius carminis naturam talis ratio necessaria, five ad judicandi interpretandique leges unice sit probabilis.

Versus autem hic est [2]):

„*Sat mea sat magna est, si tres sint, pompa, libelli.*“

Quem quum plerique, et antiquiores, et recentiores philologi recte sic scribi sibi persuasissent, saltem interpretandi ejus diversas diversi, plurimi tortuosas, speciosas pauci, nulli probabiles rationes iniere. Atque ante Scaligeri quidem aetatem, ut reliqua antiquiorum interpretum somnia ne verbo quidem commemorem, Justus Lipsius [3]), quod Propertius h. v. tres tantum libellos commemorasset, aut unum ex quatuor libris, ejus nomine superstitibus, spurium, aut ejusdem modo argumenti libros i. e. tres priores amatorios intelligendos esse censuit. Qui quum librum I. *μονόβιβλον* inscriptum, a ceteris duobus, II. et III., hoc modo segregatum

2) Hic v. legitur l. II. el. 13. post v. 24. „Plebei parvae fun. exs.“ rec. antiq., post eundem v. 24. in l. II., el. 10. rec. Scalig., in ed. Lachmanni l. III., el. 4. post eundem quidem v., sed numero 8.

3) Lipsii Varr. Lectt. I, 16.

esse judicaret, eo titulo librum IV, utpote alius generis carmina continentem, quam I, inscribi maluit; Scaliger autem ipse propterea haeret, quod in secundo poëta carminum libro, quem tum ne dimidium quidem confecisset, tres libros commemoraverit. Cujus viri auctoritate adducti, qui ad hunc locum interpretandum postea accesserunt, omnes conati sunt ostendere, aut, quo sensu Propertius hic tres libellos commemorare potuisset, aut, de justo loci sensu desperantes, versum, vel aliter scribendum, vel in librum III. transferendum esse. Hi quidem audacter, illorum vero alius alio, vel incautius, vel infelicius. Ex his ut unum certe interpretamentum e. c. afferam, Vulpius, non de ipsius nostri, sed de trium poëtarum, quos hic imitatus esset, ut Callimachi [4]), Philetae [5]) aliusque cujusdam carminum voluminibus locum intelligendum esse conjecit. De quibus tamen quum, neque antea, neque postea usquam hoc in carmine facta sit mentio, hoc in v. sermonem esse, plane non est consentaneum. Neque igitur hoc, nec quae sunt hujus generis alia commenta, quia vel jam satis confutata sunt, vel per se facile corruunt, ulterius juvat persequi. Talia autem propositum est examinare, quae vel aliquam veri speciem etjam nunc prae se ferunt, vel, quanquam ipsa quidem sunt rejecta, tamen novos posse errores, vel parere, vel sustentare videntur. Hoc ex genere ea sunt, quae Heinsius et Broukhusius suaserunt, illorum in numero Frid. Gottl. Barthius et, qui haec carmina superiori anno edidit, Carol. Lachmannus ponendi sunt. Qui quidem omnes quum et diversas conjecturas et, ad easdem probandas, etiam diversas quisque rationes criticas protulerint, singuli deinceps in judicium vocabuntur. Postremo autem, ubi, cur ab iis dissentiendum putem, demonstravero,

4) Cf. Propert. III. 1, I. 9, 43. adde II, 32.

5) V. Propert. II, 34, 31. III, 1, 1, 3, 52. 9, 44. IV, 6, 3.

meam de hoc loco sententiam proferam. Quam si idoneis harum rerum judicibus probari intellexero, saltem Propertio propterea gratulabor, quod a periculo, ne in frusta discerpatur, liberatus esse videbitur. Sin minus, hac tenui opella me, et virium mearum specimen edere, et alicui Umbri poëtae capite perniciem avertere voluisse, aequi judices, velim, benevole meminerint.

Cap. I.

Ac primum quidem de scriptura versus dicendum est, cujus mutatione sensum posse juvari existimavit Heinsius. Neque vero hujus conjecturam [6]):

„*Magna satis, duo tresve mei sint pompa libelli,*“ —

quam ipsa audacia redarguit, post alios redarguere nunc est animus. Sed ne quis exsistat, qui vulgatam nunc in plerisque edd. lectionem:

„*Sat mea sat magna est, si tres sint, pompa, libelli,*“

denuo sollicitare audeat, cur hanc, tanquam unice veram, tuendam esse putem, exponendum videtur. Atque in codd. quidem versus tripliciter scriptus invenitur. Primum in Mentel. Borrichiano, Groning. aliisque multis ita scriptus est:

„*Sat mea sit magna, si tres s. p. l.*“

cujus quintus semipes claudicat [7]). Unde metri sanandi caussa Puccius, nescio, in cujus margine exemplaris, scripsit legendum esse:

„*Sat sit magna, mei si tres s. p. l.*“

At ejusdem codd. familiae lectionem Heinsius praeter illam, de qua jam dictum est, hanc quoque conjecturam [8]) proposuit:

---

6) In Nott. Propertianis p. 689.

7) In hac caesura brevis syllaba, non apud epicos poëtas, nedum apud elegiacos, ferenda. Vid. Ill. Hermann. ad Orph. p. 764. sq. cf. Spitzner. l. de Versu Graecorum Heroico p. 16.

8) Aldinae edit. exemplo adscriptam in margine.

„Sat sint magna, mei si tres s. p. l.“

Ejusdem denique scripturae ductum secutus, Grasserus in ed. Lugdunensi versum sic exprimi jussit:

„Sat sit mihi magna, mei si tres s. p. l.“

Ita quidem Barthius versum scriptum fuisse in nott. refert. Quod vitium majus est, quam ut ab ullo viro docto committi potuisse videatur. Quare sic ibi scriptum fuisse suspicor: *Sat sit magna mihi, si t. s. p. l.* — Hae conjecturae omnes, sicut ipsa, ex qua sunt ortae, codd. Mss. lectio, ferri propterea non possunt, quod conjunctivum *sit* aut *sint* in priore hemistichio tuentur, hujus loci sententiae non congruum. Poëta enim, postquam se inanem pompae funebris magnificentiam contemnere (inde a v. 19. usque ad v. 24.) satis demonstravit, tantum abest, ut se in funere libros sibi praeferri velle fateatur, ut istum sibi honorem non nisi hac sub conditione, si libri, et parvi (libelli), et pauci (tres) sint, gratum futurum esse dicat. Quod si hoc modo enuntiare voluisset: „Sat sit magna, s. t. s. p. l.“ isto conjunctivo *sit*, sese dubitare significaturus fuisset, an, tam paucos sufficere, non recte judicaret. Quare indicativo modo, sive praesentis, sive futuri temporis opus esse apertum est. Praesenti autem tempore (*est*) Propertius, nisi fallor, propterea utitur, ut, se eo tempore, ubi ista scribat, funeris sui pompam, non ut postmodo futuram, sed ut jam praesentem ante oculos habere significet. Deinde etiam alterum *sat* in *sit* a scribis mutari facile potuit. Litterarum enim *a* et *i* vocalium mutatione nihil frequentius [9]). Praeterea verbum substantivum, quod non dubium est, quin post vocem *magna* exciderit, a scriba aliquo desideratum, atque ita *sit* in locum alterius *sat* substitutum videtur. Porro illud pronomen *mei*, e conjectura propositum, sic ab ipso

9) Vid. Cellar. Orthograph. Ling. Lat. Tom. I. p. 20. coll. Kortii Disp. de Usu permutatarum vocalium, adjuncta Cellar. libro l. Tom. II. p. 100. sqq. Adde Barth ad Propert. I, 17, 20.

Propertio potuisse scribi, non est probabile. Quod pronomen, quanquam hic intelligendum est, non tamen ita notari debuit, ut ineunte enuntiationis membro poneretur. Hoc loco, quoniam poëta, nec multos, nec magnos libros sibi praeferri vult, in his verbis: „*si tres sint pompa libelli*" — haec duo: *tres* (i. e. pauci) et *libelli* (i. e. libri parvi) maxime eminent. Atqui quum apud scriptores Latinos ea vocabula, quae in aliqua sententia sunt potissima, vel ineunte enuntiatione aut ejus membro, vel exeunte vel in medio etiam ponantur [10]), hoc in v. *tres* in initio alterius hemistichii, in fine *libelli* commemorari debuerunt. Neque igitur ullo pacto illud pronomen praemitti potuit. Denique vero, cur, pro altero *sat* scribendum *sit* esse, persuadere mihi nequeam, hoc est in caussa, quod ad augendam continentiae laudem plurimum confert istius adverbii repetitio [11]).

Deinde altera, quae in uno Broukhusiano s. Palatino cod. chartaceo invenitur, lectio:

„*Sat mea sat magna*, *si tres s. p. l.*

quamquam ipsa quoque metri laborat vitio, tamen luculenta prae se fert genuinae lectionis vestigia. Neque enim, nisi, quod, per compendium fortasse scriptum, a librario non animadversum erat, verbum substantivum *est*, cujus omissione nihil facilius, post adjectivum

---

10) Vid. Goerenz. ad Cic. librr. de Legg. Excurs. II. „de soni sede etc." p. 294. Quae quidem praecepta, quanquam de soluta tantum oratione dantur, tamen etiam de verborum ordine, in carminibus conspicuo, ubique fere valent.

11) Quanquam me non memini legere adverbium *sat* bis in eodem orationis membro positum, tamen hunc usum non anxie, vel ex aliis scriptoribus, vel ex ipso Propertio conquirendis exemplis probandum esse arbitror. Qui huc a Vulpio affertur locus Propertii I. 17, 10. varie quidem legitur, et: „*sat tibi sit* p. n. e. i. v." et: „*sat tibi sat*" — sed, quia optativum illud *sit* ibi necessarium est, huc non quadrare mihi videtur. Legendum ibi: „*sat tibi sit.*" —

magna omissum, utrumque autem, *sat* recte scriptum est. Tertiam denique, eamque nunc vulgarem, lectionem:

„*Sat mea sat magna est, s. t. s. p. l.*“

quum ipsa sententia commendet, tum codd. Vatican I. et II., Perrejani et Colotiani auctoritas satis confirmat. Haec de versus lectione hactenus.

Cap. II.

Jam sequitur, ut hoc distichon:

„*Sat mea sat m. e. s. t. s. p. I. Q. e. P. m. d. f.*“

neque separatim unum, nec cum tota aliqua carminis particula [12]) huc e libro III. illatum esse ostendam. Broukhusius enim, probata Scaligeri opinione de mutandis in Propertio distichorum sedibus, ipse quoque quum alias alia, tum hunc in I. distichon illud professus est e l. III. translatum sibi videri. Burmannus autem, illum secutus, in l. III., ubi illud collocaret, locum quaesivit, et sibi quidem invenisse visus est idoneum (III, 16. post v. 30. „*Non juvat in media* etc.“) Qua sententiarum conjunctione, quum nil posse videatur reperiri magis ἀπροςδιόνυσον, non est, cur, quod hodie nemo facile credit, rejiciam et cum hujus viri umbra pugnare instituam. Sed quia hodienum sunt [13]), qui a Scaligero sedes

---

12) Hoc carmen: „*Non tot Achaemeniis* a. S. s.“ l. II. 13., in quo illud distichon: „*Sat mea sat* m. e. etc.“ Hemsterhusius et post eum alii voluerunt in has partes dividi, a) v. 1—16. b) inde a v. 17. „*Quandocunque igitur* n. m. c. o.“ usque ad v. 42. „*Nonnihil ad verum* c. t. s.“ c) inde a v. 43. „*Atque utinam* p. a. m. p. c.“ usque ad v. 58. „*Nam mea* q. p. o. m. l.“ Lachmannus autem hanc in duas elegias dispescuit, quarum una primos 16 vv., altera reliquos complectitur.

13) Quos mirum est vel in scholarum usum e Scaligeri rec. carmina Propertii edidisse, Biponti bis, iterum 1794., atque nuper Lipsiae 1812. Magis etiam miror, cel. Mansonem in Suppll. Sulzer. Theor. Lib. Aa. Vol. III. Tom. I. ad illustrandum poëtae ingenium carmina in sermonem Germanicum transtulisse, Scaligeri arbitrio transposita, ut II, 15. Neque rectius faciunt, qui, quam impro-

versuum Propertii et ejus carminum seriem recte immutatas esse opinentur, cur de mutando hujus distichi loco Broukhusio saltem non assentiendum esse existimem, exponere juvat. Paullo autem altius res repetatur necesse est. Omne enim hac in caussa judicium, quum ex totius decursu carminis, tum inprimis ex codd. Mss. auctoritate pendet. Nam nisi, aut omnis omnium, aut nonnullorum certe librorum fides prorsus elevata fuerit, neque omnino, ut in sitella sortes, ita versus ex carmine in carmen ultro citroque trajici, neque singula quaedam disticha, ut hoc, de quo agitur, et ne cum toto quidem carmine aut cum aliquo ejus segmento e. l. III. facile potuisse transferri, rationi est consentaneum. Quod autem, vel ex cujusque distichi sensu, plurium inter se cohaerentia, totius carminis colore, vel ex omni poëtae sentiendi, cogitandi dicendique modo fieri potest judicium, quanquam minime est praetermittendum, tamen, quo vilius sit antiquorum librorum, sive scriptorum sive impressorum, pretium, eo incertius illud esse intelligitur. Fit enim ferme, ut ad suum quisque sensum [14]), nedum ad linguam gentis suae aut ejus, quo vivat, seculi mores Umbri poëtae carmina exigat. Quod si quis hoc in genere omnino periclitari voluerit, poëtae nostri dotes ingenii carminumque virtutes, bene jam a Mansone

---

bant, Scaligeri rec. in excitandis poëtae locis sequuntur; v. c. Ill. Jacobs in Praef. ad Astii Obss. in Propertii carmina (Gothae editas a. 1799.) p. XII., ubi el. „*Non tot Achaemeniis* etc.“ l. II, 13. rec. vulg. ex Scal. ordine 10. dicit.

14) V. c. Cel. Manso in praeclara nonnullorum Propertii carminum interpretatione Germanica l. l.; pressius Knebelius (in Schiller. Annalibus, Horarum nomine inscriptis, anni 1796. Tom. III.) Propertii verba secutus est. Sed, qui non antiqui Propertii, ejusque poëtae Romani, verum, quomodo fere is hodie Germanis canere debuerit, velit cognoscere, ille profecto jambis Mansonianis magis, quam Knebelianis elegiis delectabitur.

delineatas [15]), etiam prolixius describere debebit. Omnino autem tria sunt in hujusmodi judicio dispicienda: primum, num a poëta serius aliquid, quod turbet sententiarum ordinem aut occultet [16]), an a manu secunda superflue sit additum; deinde, utrum aliquid, quod ad nexum orationis sit necessarium, vel ab ipso auctore, si forte locum aliquoties tractasse censendus sit, vel injuria temporum oblitteratum vere sit et recte desideretur [17]), nec ne; denique utrum in codd. Mss. primisque edd., quae propter sensum conjungi non possunt, conjuncta sint, an, quae sunt conjungenda, disjuncta [18]) videantur.

---

15) Vid. Manso l. l.; addi potest, qui de natura carminum Propertii et ejus ingenio quaedam disputat, Bach in Praef. ad libellum, cui hic est titulus: „Geist der Röm. Elegie." Ohrdruff 1809. secutus Mansonem scilicet.

16) Ita l. III, el. 15. („*Sic ego non* u. n. i. a. t.") versus si inde a 19. („*Jupiter* A. n. s. a.") usque ad 42. (*Paeona* A. v. A, t.") serius a poëta additos esse sumseris, v. 43. („*At tu non* m. p. v. L.") cum prioribus arcte cohaerere intelliges. Neque vero omnino, ut Kuinoelio placet, post v. 10. („*Ulla dedi* c. d. v. m.") illud distichon ponendum est.

17) Hoc ex genere illud est carmen II, 10. („*Scribant de te alii vel sis ignota* l.") quod non satis, ut Scaligero visum est, cum praecedenti carmine cohaeret, copulatum aliquo vinculo fuisse, non est incredibile. In superiori enim poëta se dicit novo modo, i. e Augusti laudes canendo, vires suas experturum, quas hucusque non nisi in celebrando Cynthiae amore consumserit (v. 26.) Fac, illum adjecisse, se nolle amplius Cynthiam laudibus extollere et habebis, quo hos pauculos versiculos referre possis. Nec quenquam fore arbitror, qui, si Propertius hoc carmen ad Augustum mittere decreverit, in hac Cynthiae invocatione haereat; quippe qua figura nil, vel aliis, vel nostro etiam poëtae sit usitatius (cf. Barth. Ind. f. a. Idiotismi). Quare hoc trium distichorum segmentum nolim alius carminis fragmentum haberi.

18) Quemadmodum in antiquis edd. l. I, el. 11. et 12. item 21. et 22. conjunctas fuisse constat. Eadem ratio est quorundam l. II. et III. carminum, v. c. II, 23. quod Scaliger et multi post eum alii e duabus particulis (v. 1 — 16. et 17, sqq.)

Itaque, ut de Broukhusii causa recte judicari queat, primum exponam, quantum cunctis Propertii libris Mss. pretium statuendum esse mihi videatur. Quod quidem, quo minus diligenter, quum ab aliis, tum ab ipso Frid. Gottl. Barthio [19]) factum est, eo pluribus demonstrandum videtur. Sed, ne longius digrediatur oratio, de singulorum codd. auctoritate, de qua Lachmannus non multa [20]), reliqui etiam pauciora disseruerunt, non nunc quidem disputabo. Primus autem omnium, Joseph. Scaliger [21]), male, opinor, intellecto Joviani Pontani testimonio, quod apud Alexandrum ab

---

conflatum esse intellexerunt. Neque vero cum Scaligero, qui priorem particulam praecedenti elegiae adjungendam putavisset, faciendum esse, probe jam Lachmannus monuit. Eidem contra el. l. II, 9. („*Iste quod est* e. s. f. etc.“) tribus (v. 1 40. 41—48. et 49—52.) diversorum poëmatum fragmentis constare, post Scaligerum aliosque statuenti, tantum abest, ut assentiar, ut, has partes satis invicem conjunctas mihi videri, fatear. Nempe Propertius Cynthiam (v. 1—40.) objurgat, quod non modo torum mutaverit, verum etiam hujus rei caussam ad ipsius perfidiam retulerit. Nam haec fere sententia subest verbis vv. 31. sq. et 35. sq. Quare poëta, ut illud crimen obscure significare, ita testibus invocatis de sua fide praedicare rectissime potuit. (v. 41—48.)

19) Praef. ad Propert. p. XII. sq.

20) Jejuna enim sunt, quae Vulpius, Burmannus, Barthius aliique in prooemiis enarraverunt. Lachmannus autem etsi non prorsus improbabiliter quaedam in praef. ad ed. suam disseruit, plerumque tamen judicia, quae de singulis dixit, rationibus firmare supersedit. Sic, ut alia omittam, quos in Praef. p. XIII. sq. nullo hanc in rem allato argumento damnat, Grasserianum, Thuaneum, quatuor Parisinos, unum Venantii Lupacchini et duos Guil. Vlamingii libros Mss. quanquam, cur majus minusve cuique codici pretium in Praef. imposuerit, se in Nott. deinceps rationem redditurum p. IX. pollicetur, tamen, deteriores eos esse sive, quos injuria appellat, Italicos, (nam omnes tandem boni pariter, quam pessimi, ex docta oriundi Italia) non modo nusquam postea probare conatus est, sed ne semel quidem in Commentar. commemoravit.

21) In Castigg. in Propert. pag. I.

Alexandro [22]) relatum legimus, cunctorum Propertii codd. Mss. fidem in dubium vocavit. Qui, quo majorem apud plurimos auctoritatem habebat, eo minus mirum est, quod multis imposuerit. Fuerunt etiam, qui, quod hanc in restituendis Propertii carminibus initam ab eo rationem vel propter se repudiandam censerent, illud. Jov. Pontani testimonium, istius conjecturae firmamentum, vix obiter inspectum, pro fabula habendum esse dicerent [23]). Sed quum utrumque, et Pontanum, et Alexandrum magna nominis fama aevo suo floruisse constet [24]), nulla est ratio, cur, ut impostor, aut credulus fabularum narrator alteruter inauditus damnetur. Quare Alexandri, quae huc spectant, verba, quo majoris hac in re sunt ponderis, quoque accuratius considerari possint, ipsa juvat apponere. Jovianum igitur Pontanum haec testari narrat: „Propertii elegias patrum suorum aetate et se adolescentulo primum in lucem prodiisse, quum antea incognitae fuissent: opusque oblitteratum et longissimo aevo abstrusum, corrosis et labentibus litteris in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, et quum libelli vetustate verbis et nominibus absumtis longo situ et senio, quod in diuturna obscuritate latuerat, veram lectionem assequi nequirent, effectum, ut mendosi inde codd. prodirent: paullatim discuti errores et corrigi coepti sunt: nec tamen effici quisse, ut posteris omnino integri inoffensique darentur.“ His ex verbis nec, quo jure Scaliger concludere potue-

22) Geniall. Dier. l. II, c. 2. p. 240. ed. Lugdunens.

23) V. c. Bibl. Gotting. Tom. III. Partic. 4. p. 559. hoc Alexandri testimonium fabulosum esse dicitur, non vero demonstratur. Quare miror, qui Barthius istiusmodi dubitationi (Praef. ad Propert. p. XIII.) tantum tribuere potuerit, ut Alexandri fidem elevari putaret.

24) Cf. Gundlingii Hist. litt. de Jov. Pontano Tom. II, p. 2058. de Alexandro autem p. 2106.

rit, in illo codice disticha suis disturbata fuisse sedibus, nec quomodo, qui non assentiendum eidem esse intelligebant, Jovianum Pontanum aut Alexandrum in malae fidei suspicionem vocare potuerint, me non intelligere fateor. Neque enim eorum, quae ab Alexandro traduntur, aut alia per se absurda, aut alia dubiae sunt fidei. Non certe quidem propterea potest absona videri narratio, quod in vinaria cella Propertii carmina sub doliis posita fuisse dicuntur. Amor enim et vino delectatur et carminibus. Hinc ipse Propertius [25]):

„*Quum tua (Cynthia) praependent demissae in pocula sertae*
Et mea deducta carmina voce legis;
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.“

Neque vero insunt, unde, vel non potuisse Jovianum Pontanum aut Alexandrum, vel noluisse ea de re verum dicere, suspicandum sit. Nam hic quidem, et illius aequalis fuit, et, quae refert, ita tradit, ut rem iisdem, quibus ille usus fuerit, verbis narrasse videatur. Neque Jov. Pontanus, quanquam, quod se adolescentulo [26]), illum codicem repertum esse et ex eodem postea mendosos fluxisse libros perhibet, hoc aliquanto post testari videtur, aut juvenili credulitate inductus, aut senili [27]) memoriae imbecillitate lapsus, rem non po-

25) l. II, el. 34. v. 57. sqq.

26) Anno 1440. quo artem typographicam inventam esse sumunt (vid. Ill. Beck. Hist. Univ. Tom. IV. p. 821.), Jovian. Pontan. quatuordecim annorum fuit adolescentulus. Eodem fere tempore fortassis ille Propertii cod. repertus.

27) Eum enim haec senem testatum esse credamus, non est necesse. Ista enim carmina demum post. a. 1472., quo typorum instrumento primum publicata sunt, aut omnino describi, aut ex hoc cod. derivari coepta esse, per se non est probabile. Namque haud scio, an plerique omnes Propertii codd. hoc 32 annorum intervallo (inde ab a. 1440. usque ad a 1472.) quum, vulgato usu typographico,

tuisse fideliter tradere judicandus est. Neque minus dubito, an, qui noluisse alterutrum, nescio, qua de caussa, verum dicere suspicentur, id non possint rationibus ostendere. Tria sunt autem potissimum, quae Alexander refert, primum, Propertii carmina antea incognita fuisse; deinde, illo codice post renatas litteras primum innotuisse; denique, ex eodem postea descripta esse. Ac primum quidem, quod attinet, ante Jov. Pontani tempora etiamsi Propertii, non tamen ejus carminum per longum tempus ullam fuisse notitiam, nullus dubito, quin verum sit. Post Fulgentium enim nemo quisquam ex hoc poëta versiculum attulisse reperitur. At, quamdiu ista carmina latuerint, non ausim dicere.

Deinde vero, ex hoc codice Propertii carmina nobis innotuisse, ut maxime credibile est, ita vehementissime dolendum est, quod ille, tum longissimo aevo absumtus et corrosis labentibusque litteris inventus sit, tum, utrum adhuc exstet, nec ne, aut, si exstet, quis sit et ubi servetur, incertum est. Nam, quae Barthius [28]) de cod.

---

typis possent exprimi et exprimerentur, (iterum jam a. 1475. edita sunt), non erat, cur describerentur. Quae quum ita sint, non video, quid obstet, cur Jov. Pontanus vitiosos e vitioso cod. libros derivatos esse, senex decrepitus, cur non vigens adhuc aetate circiter a. 1472., principe Propert. carminum ed. insigni, aetatis suae 46.) testatus esse censeri debeat.

28) Barthius cod. Francianum II. (quem Heinsius Mentelianum, Leidensem I. Oudendorpius dicit, vid. Lachm. Praef. p. XI.) Broukhusii opinionem tuitus, quatuor ante huius aetatem seculis i. e. centum fere annis ante, quam unicus ille Propertii cod. in lucem protraheretur, scriptum fuisse statuit. Hinc Barthius istum cod. et collatum a Broukhusio et perantiquum judicatum, eundem esse conjecit, qui Pontano adhuc adolescentulo repertus fuisset. Verum, hoc ut efficeret, primum constare debebat de sententia Broukhusii. Equidem ut in hujus auctoritate acquiescam, tantum abest, ut eum putem, quod saepe fit, nimium magni fecisse librum, in quo excutiendo diu consumsisset operam. Deinde mirum profecto esset, si Jov. Pontanus poëtam antehac incognitum dixisset, cujus poëmata secu-

Franciano II. disputat, ea magis ad confirmandam Broukhusii de ejus aetate conjecturam, quam ad nostram caussam illustrandam faciunt.

Denique, quod ex eodem cod. Alexander alios mendosos fluxisse dicit, ex hoc, si non ipso, tamen primario, veluti fonte ceteros omnes promanasse consequitur. Nam quum postero tempore nullus Joviano antiquior codex sit repertus, carmina haec non aliunde potuisse describi, per se clarum est. Non igitur diversae sunt librorum Mss. familiae, i. e. aliorum alium versuum carminumve ordinem exhibentium. Neque etiam in illo codice ipso disticha aut carmina transposita fuisse, Alexander, aut diserte testatur, aut subobscure significat. Etenim in illo Jov. Pontani testimonio, in quo acquiescendum esse mihi videtur, tantum abest, ut, quo Scaliger opinionem suam stabilire potuerit, certi aliquid, ut ne leve quidem vestigium insit, unde, disticha in isto cod. aut carmina disturbata fuisse, probabiliter colligere liceat. Alexander autem ut verborum nominumque scripturam depravatam fuisse diligenter aeque, quam fideliter, enarravit, ita etiam hujusmodi graviora illius codicis vitia non facile, credo, silentio praeteriturus fuisset. Si qua in illa Alexandri narratione, quae Scaliger in suam trahere sententiam potuisse videatur, haec sunt verba: „opus — corrosis et labentibus litteris — inventum esse." Sed ista quidem de totis distichis et carminibus debere intelligi, primo propterea non est credibile, quod ille singula tantum verba et nomina longo situ et senio absumta fuisse, infra testatus est. Deinde si disticha et carmina, sublato codice, lapsa esse perhiberentur, mirum profecto

lo demum ante descripta fuissent; mirum etiam, si cod., vixdum scriptus, sub doliis fuisset positus, (Alexander enim eum, longissimo aevo absumtum, in diuturna obscuritate latuisse scribit); mirum denique, si membranaceus cod. hoc temporis spatio tantopere fuisset depravatus.

esset, si, ut de carminibus taceam, integra semper, sive singula, sive plura deinceps disticha, neque singuli versus toti, vel dimidii, dilapsi essent. Denique multo etiam magis mirabile est, qui in mediis praecipue libris, II. et III., Scaligero summa lacis mixta videri potuerint, neque item in ceteris duobus (I. et IV.) iisque extremis, situ, sine dubio magis, quam illi, humori expositis et putredini. Nam cod. ille, sive antiquo more [29]) fuerit convolutus, sive quadratam formam habuerit [30]), non facile aliter [31]) compactus esse potuit vel sub doliis positus, quam ut carminum liber I., aut IV., aut uterque, quam, qui intus erant, duo reliqui, facilius ex uligine soli aut vini destillantis liquore et vel ex solo aëre udo mucorem contraheret.

Inde subnascitur alia, quae hic leviter tantum attingenda est, quaestio, uter de duobus elegiarum libris, utrum I. aut IV., an uterque, situ fuerit extremus. Quocirca primum constare debet, utrum cod. ille in cylindri formam, an in quadrum complicitus fuerit. Qui si quadratus fuisset, duo carminum libri, et extremi fuissent, et putredinis obnoxii periculo, sin voluminis formam habuisset, unus tantummodo liber ceteris facilius detrimenti aliquid potuisset accipere. Cum hac plures quidem conjunctae sunt quaestiones, utrum, si codex rotulus fuisse sumitur, I. IV.,

29) Alexander de libri vetuſtate mentionen injicit. Unde, eum antiquo more compositum fuisse, non eſt improbabile.

30) De vett. conditione codd. cf Schwarzii (Colleg. olim in schola Nicol. Lips. III., post in academia Altorf. professoris). Disp. II. §. 2. 7. 12. et 24.

31) Neque etiam quatuor Propertii carminum libri singuli diversis scripti fuere voluminibus. Nam de uno duntaxat, non de duobus, quorum uno pejore libri medii, altero meliore libri extremi comprehensi fuissent, aut de quatuor diversis codd. accepimus.

an primus, cum umbilico conjunctus, i. e. in medio volumine sive latius collocatus fuerit; sin quadratus, l. IV., an I. situ fuerit infimus. Ab ima enim parte facilius, quam a superiore, labes accedere potuit. Sed, quum illud obscurum sit, haec multo minus persequi licet. Hic satis habeo significasse, librum I. mihi videri majore, quam IV., fuisse in periculo, ne prorsus exstingueretur. Multo plura, quam in IV. aut ceteris, primo in libro sunt tam multis modis depravata, quum alia nomina, tum in primis propria [32]), ut nil facile supra. Quod satis luculentum et certum indicium esse arbitror, I. carminum librum, non vero IV., multo minus II. aut III., extrema in parte codicis scriptum fuisse.

Sed utcunque hoc est, ostendisse sufficiat, libros medios, II. et III., si non omnino, magis saltem, quam extremos, I. et IV., ab humidi aëris contagione fuisse liberos. Ex quo Scaligerum ejusque sectatores, si tam paucos [33]) l. I. et IV. versus transponendos putarent, in mediis libris multo minus trajicere debuisse intelligitur. Omnino autem, si in his mediis libris quaedam carminum membra nimium laxis inter se aut nullis conjuncta vinculis videntur, admodum caute eo utendum perfugio est, quo similium sententiarum disticha transponi solent et pro lubitu consarcinari. Temerariae hoc est, non criticae auxilium emendationis [34]).

Ex his, quae de codd. Mss. fide disputata sunt, ut nulla omnino aliorum carminum disticha disjecta, neque

---

32) v. c. el. I, 9. 10. 13. 24. el. II, 2. 3. 16. 19. etc.

33) I, 8. 13—16. et IV, 3. 4. 7. 11. vid. Coll. Broukhusian. ed. cum Vulgatis ad haec carmina, Barthii, Kuinoelii, Lachmanni edd. adjunctam.

34) Quod quum ab aliis, tum ab Ill. Jacobsio in Praef. Astii in Propert. Obss. praemissa, p. X. praeclare expositum est.

perturbata, ita illud l. II. el. 13. distichon, neque separatim, neque una cum carminis, in quo legitur, segmento e libro III. translatum esse, satis apertum est. Sed quum haec argumenta magis ad reprobandam distichorum transpositionem, quam ad hanc caussam faciant, mihi vero hujus loci cum codd. Mss. comparandi non data sit opportunitas, nihil aliud reliquum est, quam ut hoc distichon sic cum antecedentibus sequentibusque cohaerere ostendam, ut, quum adsit, non superfluere, et, si evulsum fuerit, ad aequabilem orationis conformationem talis sententia deesse videatur. Quod tantum abest, ut ex totius decursu carminis demonstrandum sit, ut ex iis tantum, qui huic v. 25. proximi sunt (vv. 19—30.), versibus posse videatur intelligi. Nam his vv. Propertius, quomodo servari cupiat funeris acta sui (cf. v. 18.), ita exponit, ut et primum, quas caerimonias omitti inanes et supervacaneas (v. 19—24.), et deinde (v. 25—30.), quas in poëticae laudis vitaeque suaviter transactae memoriam retineri velit, totidem praecipiat versibus. Accedit etiam, quod hic posterioris particulae v. primus (25.): „*Sat mea sat* m. e. s. t. s. p. l.," primo prioris (v. 19.): „*Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa*," et pro ratione loci et sententiae similitudine respondet [35]). Ut autem non vult imagines gloriae a majoribus acceptae (v. 19. sq.), sed sua opera partae testes libellos (v. 25.) in funere sibi praeferri, ita posthabitis ceteris, a caritatis desideriique significatione alienis, ritibus (v. 21. sqq.) unam Cynthiam, sui amantissimam, exsequias ire jubet (v. 27. sqq.) Ergo non minus primum utrumque, quam duo reliqua utriusque particulae disticha sibi sunt in vicem opposita. Quare primum prioris particulae distichon, non modo non alienum ab hoc loco aut superfluum, verum etiam, quod, si alio translatum fuerit, posterioris particulae

35) Cf. Vulp. ad h. l. qui idem jam observavit.

primum, quo referatur, non habiturum sit, ad aequabilem carminis compositionem vel maxime requiri videtur.

Praeterea erunt fortasse, qui, non omnino reprobata Scaligeri sententia, novissimam dispescendorum carminum rationem sequentes, si minus singula disticha, certe quae idem aut simile argumentum contineant, carmina minora aut majorum fragmenta aliis e libris transferri et in unum plura conjungi facile potuisse opinentur. Qui si hoc quoque carmen (II, 13. „*Non tot Achaemeniis a. S. s.*“) ex duobus[36]) aut e tribus elegidiis[37]) in codd. Mss. coaluisse crediderint, ii, opinor, si non haec duo aut tria cuncta propter trajectus difficultatem, saltem alterum[38]) propter sententiam v. 25. „*Sat mea s. m. etc.*“ huc e tertio libro, nescio quo casu, translatum esse facile sibi persuadebunt. His autem duo potissimum poterunt objici, quod salva codd. auctoritate, neque disjungere quidquam, neque transponere licet. Nam ut omnino facilius conjungi, quam transponi, carmina potuerunt, et in aliis quoque poëtis, ut Tibullo et Manilio, frequenter admodum conjuncta sunt, sic in Propertio idem accidisse, propter se haud ineptum est credere.

Neque enim omnino repudianda est haec, a novissimis viris criticis inita, ratio. Namque lacunae, propter quas majora carmina in minora aut in fragmenta dispescantur, quanquam non ob eas, quas Barthius[39]) et Lachmannus[40]) attulere, rationes in hoc poëta inesse credendae sunt. Caussarum vero, cur ejus carmina

36) ut Lachmanno visum est.

37) Sic Hemsterhus.

38) Quod segmentum alterum, si in duo elegidia totum carmen diviserint, inde a. v. 17. usque ad v. 42. pertinet.

39) Barth. Praef. p. XII.

40) Lachm. Praef. p. XX. sq.

non ubique cohaerere videantur, duo sunt genera: unum earum, quae in ingenio poëtae et componendorum carminum modo quaerendae sunt; alterum positum est in dubia scriptorum librorum fide. Sic fieri interdum potuit, ut, quae disjuncta erant, conjungerentur. Sed ut, hoc rarissime factum esse, propter ea, quae de codd. Mss. conditione disputata sunt, satis certum est, ita maxima cautione talis medicina et non, nisi desperatis jam rebus omnibus, adhibenda est. Accedit enim, quod ab hac culpa fortasse scribae saepe sunt liberi, et ipse vates singula carminum membra parum curiose junxit. Cujus rei caussa, ut jam dixi, quum ab ejus ingenio, de quo separatim alias exponendum videtur, tum ab eo maxime modo, quo carmina fecit, repetenda est.

Tribus autem omnino modis pangi carmina solent. Atque alii quidem primum lineamenta carminum ducunt, sententiarum magis et universae constructionis, quam verborum et metri curam habentes; quod utrumque postea demum, quum semel aut iteratis vicibus retractant, studiosius emendant et ornant. Hoc quidem modo Virgilium constat versus fecisse, qui se ipse solebat dicere, quos ante meridiem pepigisset, pomeridianis horis ursino more lambentem meliores reddere [41]). Alii vero vel breviores ejusdem generis sententias, sive suas, sive ex aliis poëtis peregrinis domesticisve congestas, in usum futurum chartis mandant, ut Propertius [42]), vel majores quasdam partes separatim elaborant singulas, tandem has in unum carmen coarctant, illas autem, veluti pannos, data occasione consuunt. Alii denique uno tenore, ut ajunt, atque ita statim carmina conficiunt, ut, quod addere possint aut mutare, nihil quidquam postea reperiant. Quorum in numero Ovidius fuisse

41) Cf. Gell. N. A. XVII, 10.

42) v. Propert. III, 23. „*de tabulis perditis*" v. 21. sqq. coll. v. 1.

videtur [43]), sed minime omnium, quod recte contra Vulpium [44]) monet Barthius [45]), tardioris poëta ingenii, Propertius. Quin etiam hic se ipse significat [46]), in faciendis carminibus tardo versari. Nec, quod ad probandas res, vel claras, vel obscuras multa saepe exempla adhibet, ea, ut Antiochenus ille Archias [47]), tanquam pleno e sacco omnia, neque temere, sicut Callimachus [48]), sed accurate instituto delectu attulisse existimandus est. Nihilo minus tanta apud eum subinde est exemplorum copia, ut non tam ex ubertate ingenii, sed e luxurie quadam profecta esse videatur. Verum ista quidem magis doctrinae ostentandae caussa, quam memoria prompte suppeditante, abundanter cumulata sunt. Jam vero tantum abest, ut diversis modis eosdem poëtas diversa carmina pangere negem, ut pro ingenii humani natura id vix et ne vix quidem aliter fieri posse, existimem. Quare nullus dubito, quin Propertius, etiam si plerumque mediam ex his, quas dixi, viam iniisse videatur, tamen, majori paullatim comparata versuum faciendorum dexteritate serius, vel interdum quidem vehementiore animi impetu incitatus, aliam rationem usurpaverit. At si forte ex paratis jam ad hunc finem particulis carmina composuit, facile fieri potuit, ut non satis colligaret omnia. Hujus generis illud quoque carmen (II, 13.) videtur; cujus partes tres [49]), si separa-

43) Ovid. Trist, IV, 10, 26.: „*Quicquid tentabam dicere, versus erat.*"

44) Vulp. de Vita Propertii, Prolegg. p. XV.

45) Barth. Praef. p. LXVIII. Not. a.

46) III, 23. v. 1—3. et 11—16.

47) Cic. pr. Arch. c. 8.

48) Cf. Cel. Manso Comment. de Propertio in Suppll. Sulzer. Theor. Vol, III. Tom. I. pag. 44.

49) Cf. Not. 18.

tim singulae sunt a poëta factae et in unum tandem compositae, mirandum non est, si non adeo arcte cohaerere et quibusdam etiam diversae, quanquam non integrae omnes, elegiae esse videntur. Sed poëta unum quidem in hoc universo carmine consilium persequitur. Ex morbo enim aliquo, ut videtur, convalescens Cynthiam interim a se abalienatam sibi reconciliare conatur [50]). Sed in diversis ejus partibus illud diverso modo explicat. In prima autem carminis parte se praeter Cynthiae amorem nihil sentire, nullo alio in negotio, quam in faciendis ad laudandam Cynthiam carminibus occupari et satis felicem futurum praedicat, si modo huic universus suos probari eidemque semetipsum placere intellexerit. Quod quo gravius affirmet, se, si hanc sibi reconciliaverit, libenter etiam obiturum dicit, his usus verbis [51]):

Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis [52]).

Neque vero quisquam propterea potest offendere, quod leviter tantum, et in prima, et in secunda carminis parte [53]), poëta mortis mentionem injicit, in exsequiarum

---

50) In prima segm. (cf. Not. 18.) vv. 15. sq., in secundi segmenti v. 25. sive totius carminis 41. „*Interea cave*“ etc., et in tertii vv. 15 et 16. s. totius el. 57. sq. „*Sed frustra*“ etc.

51) II, 13, 15. sq.

52) *inimicitiae Jovis* i. e. interitus, mors. Mortalium enim in deos contumaciae poena antiquitus credebatur esse mors. Cf. Callimach. Hymn. in Dian. v. 124. sqq. Ne multa. Pleni sunt enim ejusmodi exemplis, quum mythographorum, tum Ovidii de Metamm. libri. De Jovis autem ira hominibus perniciosa vid. locum Aeschyli, ubi de Capaneo agitur, VII. adv. Theb. v. 398. sqq. falso quidem ex Aeschyli Prometheo 433., inepte autem ad Propert. II, 16, 52. citatum a Kuinoelio. Adde Pitisci Lex. Antiqq. Romm. Tom. I. s. n. Jupiter.

53) II, 13, 16. et 17.

autem pompa describenda tam multus est[54]); si sepulturae, quam mortis, descriptionem minus ingratam Romanis, hujus vero generis poëtis haud inusitatam,[55]) fuisse meminerit. Quare, qui ob unam particulam *igitur*[56]) v. 17. nonnulla, quae vel de metu mortis, vel id genus alia praemissa fuissent, disticha excidisse statuat, non sane habet, quo hanc conjecturam stabiliat. Quodsi verba v. 16. de obitu intelligimus, quo illud *igitur* referri debeat, perspicuum est. Quod autem diversus utriusque segmenti est color,[57]) non est, cur magnopere haereamus, si separatim utrumque a poëta compositum esse existimemus.

Denique etiam, ut recte observat Lachmannus, tertium segmentum nequaquam est a secundo divellendum, licet cum primo, quam cum secundo, magis cohaereat. In primo enim poëta se dicit non amplius velle vivere, nisi ametur a Cynthia; in tertio autem, post longam digressionem (v. 17. sqq.), elegiacorum poëtarum more[58]) ad eandem sententiam, quam non multo aliter, quam v. 7. sqq. enuntiatam legimus, in fine (v. 57. sqq.) revertitur. Utraque enim in parte se non obscure significat sperare, Cynthiam his monitis motum iri, ut cum ipso

54) el. I. v. 19. sqq.

55) Cf. Propert. II, 1, 71. sqq. adde Tibull. I, 1, 59., quocum loco plura contulit Cel. Huschkius Progr. Rostoch. 1813. pag. 23. sqq. et III, 2, 9. sqq. ed. Heyn. coll. Voss. Animadvv. ad German. huj. el. Versionem p. 339. sq.

56) Particula *igitur* orationis transitui inservit. Cf. Bos, Horat. Turs. et Meineri libell. de Ling. Lat. particulis s. h. v.; ita hoc quoque in loco, quanquam obscurius, tamen similiter, ut II, 1, 71. et Tibull. III, 2, 9.

57) Primam carminis partem, 1—16., animo elato, alteram, 17—58., subtristi poëta scripsisse mihi videtur. In tanta igitur sensuum permutatione carminis color vere est elegiacus.

58) Vid. Cel. Clodii Syst. Poët. Tom. II, p. 566. sq.

in gratiam redeat. — Quod si haec tria segmenta unum carmen efficiunt, hoc a librariis huc e tertio libro translatum esse, eo minus verosimile est, quo id propter illius magnitudinem difficilius potuisse fieri intelligitur. Eadem vero si vel diversa carmina aut fragmenta esse ponimus, ne tum quidem, cur eorum secundum, in quo illud hemistichion: „*si tres sint pompa libelli*,“ inest, aliunde luxatum esse putemus, justa est ratio. Contra vero propter primi cod. incolumitatem, quemadmodum, unum illud distichon decimum tertium non recte posse adventitium haberi, contra Broukhusium Burmannumque monuimus, ita, totum segmentum insititium esse, nequaquam nobis persuadere possumus.

Cap. III.

Transeo nunc ad Frid. Gottl. Barthii conjecturam, qui hunc locum haud multo aliter, quam Beroaldus, interpretando expedire est conatus. Beroaldus quidem improprie vel potius *μυςικῶς* libellos tres a poeta dictos esse, aut, si proprie locus accipiendus esset, vatem, quum tot in secundo libros commemorasset, tertium postmodo scribere voluisse censuit; illud inepte, hoc improbabiliter. Nam quid tandem sanctitatis in librorum numero? Sic astra numerantur, non volumina. Altera vero ratio probari hanc ob caussam non potest, quod poëta eodem jure, quo librum III., nondum confectum scilicet, memorasse existimatur, etiam quartum numerare potuit, cujus nonnulla carmina [59]) sine dubio jam tum, quum hoc carmen pangebat, delineata aut etiam parata erant. Ex quo IV. quoque libri carmina publicare poëtam nostrum sibi propositum habuisse, et jam tum in animo habere potuisse, non minus, quam tres eum edere libros voluisse, per se quidem verosimile est. Neque vero probabile est, in tali carmine, in quo mortem sibi imprecaretur, et quomodo justa peragenda

---

59) V. c. IV, 6. „de pugna Actiaca.“

essent, praeciperet, eum de operibus, quae longius temporis spatium poscerent, adhuc perficiendis veluti de jam perfectis loqui. Neque etiam, quominus ita ratiocinemur, particula *quandocunque* (v. 17.) impedit. Nam licet ea nos de incerto mortis tempore cogitare jubeat, tamen meminisse debemus, poëtam, quum haec scriberet, mortem sibi proxime futuram aut vere credidisse, aut se in timore esse, Cynthiae flectendae caussa simulavisse. Frid. autem Gottlob Barthius rem ex tempore, quo libri singuli a poëta sint editi, decernendam esse judicavit [60]). Trium enim librorum, quanquam tertius et ne secundus quidem confectus fuisset, in secundo etiam medio mentionem fieri facile potuisse dicit, si paucorum intervallo mensium uterque l. II. et III. deinceps esset editus. Qua quidem cum interpretatione haec altera visa est Barthio conjuncta esse quaestio, cur, quum poëta noster unum eorum librorum, quos nondum coepisset componere, i. e. tertium in secundo commemoravisset, non plures sive omnes, quos sub ejus nomine superstites habemus, quatuor carminum libros commemoraverit. Hanc autem difficultatem ille sic expedit, ut librum IV. non ab ipso Propertio, sed post ejus mortem ab amicis editum sibi videri dicat. Neque vero idonea ad hanc utramque opinionem confirmandam argumenta attulit, verum in orbem, ut ajunt, argumentatus est, hunc locum (II, 13, 25.) propter se sic explicandum esse existimans. Itaque quam ob caussam Lachmannus Barthio, libros II. et III. simul publicatos esse opinanti, non repugnandum esse censuerit [61]), me non intelligere fateor. Magis etiam miror, quod idem illius de libro quarto conjecturam novis sane rationibus fulcire studuerit [62]). Hunc enim librum, quod hiulca

60) Praef. p. LXXXIII.

61) Praef. p. XXVII.

62) In Not. 1. ad libr. extr. p. 329. sq.

et parum elaborata carmina aut fragmenta potius et lineamenta carminum contineat, posthumum opus esse, satis fidenter pronuntiat. Haec post ejus mortem amicos sic in codicillis exarata, nondum quidem ad edendum parata invenisse, sed edidisse et immutata quidem omnia opinatur. Quod haud scio, an aliis non pariter credibile videatur. Ego vero, cur neutri assentiendum putem, uberius jam exponam. Omnis autem quaestio eo revocanda est, ut, quando libri singuli sint editi, cognoscatur. Quod si exploratum fuerit, dubium esse non poterit, utrum recte a Barthio et Lachmanno versus ille intellectus sit, necne. Jam quum poëta passim injiciat rerum mentionem memorabilium, quae, quum scribebat, publice gestae, apud alios quoque scriptores relatae leguntur, earum novissima quoque in libro studiose investiganda est, quae documento esse possit, nullum librum ante id tempus, quo res ista accidisset, fuisse editum. Sed ex hac novissimarum rerum notitia carmina quidem diversis scripta temporibus, neque vero libros certis quibusdam interjectis temporum spatiis editos esse liquet. Hoc ut pateat, antea de singulorum librorum discriminibus, certissimis diversorum temporum indiciis, generatim dicendum videtur. Itaque quanto magis unus quisque altero, eoque prius edito, libro est praestabilis, tanto longiori tempore post evulgatus videri debet. Etenim quo majus est illud, quod duorum librorum editioni intercedit, temporis spatium, eo facilius poëta, quod, vel diutius curam impendere, vel majorem usum sibi acquirere, vel meliorum, qui interim exstiterant, poëtarum exempla intueri potuerat, novissimi cujusque libri, quam praecedentis, carmina meliora exhibuit. Hoc autem, quod in emendandis carminibus poëta noster posuit, studium, quum aliunde, tum ex metro maxime cognoscitur. Ac cetera quidem hujus rei vestigia non nisi ex iis, quae nulla transpositionis audacia depravata sunt, carminibus certo possunt erui. Cujusmodi carmina quum in iis, de quibus hic potissi-

num igitur, libris sint paucissima, eorum nec multa sunt hoc in genere diversitatis indicia, neque igitur tantum hac in caussa momentum habent, quantum ex metro accedit, cujus diversa diversis in libris ratio ex omnibus carminibus promiscue potest demonstrari. Quare, quantum inter se diversi libri discrepent, solo ex metro, si potero, faciam, ut intelligatur. Omnium autem maxime ea metri discrepantia conspicua est in pentametrorum exitu [63]. Neque vero de mediae syllabae caesura [64] aut de elisione post syllabam mediam [65] bis, ni fallor, a nostro vate admissa [66] aut de aliis hujusmodi rebus nunc attinet dicere [67]. Nam haec Graecorum imitamenta quum non adeo saepe et promiscue sint a vate nostro in libris usurpata omnibus, ad hanc rationem firmandam mihi nihil videntur aut parum valere. Illa autem pentametrorum diversitas hujusmodi est, ut in secundo non tot, quot in primo libro, in utroque autem postremo non tot, quot in duobus prioribus in trisyllaba desinant vocabula. Omnino enim Latini poëtae elegiaci, quum non aeque suaviter suo, quam sermone Graecorum, quibus etiam hoc genus poëseos acceptum referebant, ejusmodi versus ad aures

63) Cf. Ge. Philipp. Eberh. Wagneri, (Conrectoris Gubenensis, nunc design. Schol. Cruc. Dresd. Coll. IV.) Comment. de elegia ad Messalam p. 34.

64) s. o. II, 8, 8; cf. Friedemann. Comment. super media pentametrorum syllaba, Spitznerianae de versu heroico adjunctam.

65) De qua vid. Ill. Hermann. Elementt. Doctr. metr. p. 33. sq.

66) I, 5, 32. et III, 22, 10.

67) ut de ὁμοιοτελεύτοις, de quibus jam a Casp. Barthio in Animadvv. ad Statii Sylvv. II, 397, quamquam non recte, judicatum est.

cadere animadvertissent[68]), paullatim alter altero studiosius illas clausulas vitare coeperunt[69]). Ac primum quidem elegiographum Latinum, Catullum, videmus totum se ad Graecorum exemplum hoc in genere accommodavisse, Propertium autem et Tibullum coepisse se ad popularium suorum judicium (magis componere. Ovidium denique nullum usquam pentametrum tali finisse vocabulo. — Neque etiam persuadere mihi possum, Latinis omnino placuisse eos, in quorum gravitate et elegantia laudanda Burmannus[70]) multus est, in polysyllaba desinentes versus elegiacos. Nam qui quidem hoc in genere accuratissimus est, Ovidius, nisi me, haec idcirco celeriter percurrentem, oculi fefellerunt, in nulla heroidum epistola, nisi XVII. 16, pentametrum plures, quam duas, syllabas habente vocabulo clausit. Propertius vero ab his ejusmodi clausulis sensim sensimque magis abstinuit. In libro I. circiter octoginta, in II. viginti tantum, in III. sex, et in IV. tres sunt, qui in polysyllaba exeunt, pentametri. Jam licet Propertius suopte studio ipse majorem indies, et dexteritatem componendorum versuum, et, qua ad censendos eorum numeros maxime opus est, aurium judicii maturitatem assecutus sit, tamen, quotiescunque de perfectiore versuum, in postremis conspicua libris, compositione cogito, mihi redit in mentem illud Ovidii[71]).

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes

ipsi Nasoni, numerorum magistro scilicet. In emendandis

---

68) Cf. Ill. Hermann. Element. Doctr. metr. p. 358. adde Frid. Gottlob Barth. Praef. p. XCIII.

69) Apud Catullum ex tertia, apud Tibullum ex quinquagesima, apud Propert. in I. libro ex decima, in II. ex quadragesima parte, in utroque autem, et III. (13, 20.) et IV. (2, 38.) singuli tantum versus eligiaci trisyllabis clauduntur vocabulis.

70) Praef. ad Lottich. p. VI. et XVI.

71) Ovid. IV. Trist. 10, 45.

autem carminibus, quominus hunc nostro poëtae monitis [72]) aut exemplo profuisse putemus, haud sane impedit, quod ille et natu minor et hujus ipse imitator fuisse deprehenditur [73]). Nam quod illorum temporum poëtae alius alium imitabantur, in eo non modo nihil erat insolentiae [74]), sed ne turpitudinis quidem [75]). Et vero majores natu poëtas juniores sententiam de carminibus suis rogavisse, exemplo notum est Horatii, qui ad poëmatum suorum judicium Tibullum adhibuisse dicitur. Neque id nos admodum mirari debemus, quippe qui hoc tempore nostratium poëtarum celeberrimum meminerimus, nihil a se scriptum dimittere, nisi juniori cuidam viro docto probatum. Hac autem in caussa illud maxime miror, quod Propertius, qui ceterum Graecorum vestigia presse secutus est, illius potissimum suasu ab hac via aliquantum deflexerit et ad patriae linguae sonum versuum numeros attemperare coeperit. Jam ante quidem, quam cum Ovidio familiariter consuescere [76]) potuerat, fortasse suopte

---

72) Vulp. Prolegom. p. XVII.

73) Vulp. Prolegom. p. XVIII. et Not. ad I, 1, 4. et 17. etc.

74) Cf. Grohmann. Disp. de imitatione poëtica Lips. 1791. Voss. Praef. ad German. Tibull. elegg. Interp. p. XXII.

75) Vid Plin. de Passieno, Aurelii nostri imitatore, judicium Epist IX, 22. cf. Wernsdorf. Disp. de poëtt. Latt. lyricis. Tom. XIII. p. XVIII. sq.

76) Ovid. IV. Trist. 10, 45. sq. Ovidius Naso C. Vibio Pansa et A. Hirtio coss. (vid. IV. Trist, 10, 5. sq. coll. Dio. Cass. p. 278. ed. Leunclav.) natus est, cf. Heyn. Vit. Virgil. ad h. ann. Nec vero, priusquam togam virilem sumsisset, eum ad Propertii amicitiam accessisse (cf. Trist. l. l. v. 48.) et ne tum quidem continuo, quanquam praematurum poëtam (de A. A. I, 558.) in censendis ejus carminibus (Trist. el. c. v. 45.) magnam admodum auctoritatem habuisse credibile est. Jam si ex more seculi sui (cf. Barth. Praef. p. LXVI.) anno aetatis XVI. togam virilem sumsit (a. V. 727.) Propertius jam tum potuit clari poëta esse nominis.

aurium judicio adductus, ne in I. quidem carminum libro, haud dubie jam ante I. Tibulli l. edito [77]), toties pentametris versibus extremis, quoties Catullus, duabus syllabis longiores voces adjunxit. Neque enim credibile est, Propertium Tibulli, utpote ruri certe ante a. 727. degentis [78]), consuetudine usum esse, ejusdemque poëmata, quorum eum imitatorem fuisse insimulant [79]) in conficiendis aut perpoliendis I. quidem libri carminibus ante oculos habuisse. Si vero versuum in singulis deinceps libris magis emendata ratio vim in eruendo, quo quisque sit editus, tempore aliquam habere recte potest, non dubito, quin in l. II., quum eadem ipsa sit, quae apud Tibullum, polysyllabarum clausularum paucitas, hujus poëtae exemplum sequendum putaverit. De emendandis autem elegiis, si non jam secundi, postremorum certe librorum, in quibus ejusmodi paene nihil invenitur, Ovidii audisse de pentametrorum exitu sententiam atque probavisse mihi videtur. Nam nonnulla, quae in hoc utroque libro insunt, carmina, ne priori quidem utroque adhuc edito volumine, composita fuisse videntur [80]), ea non dubium est, quin postero tempore, antequam publicarentur, emendata sint.

Ex his igitur, quae de diversa diversorum librorum natura disputata sunt, haud scio, an recte colligam, non eodem tempore omnes elaboratos aut in

---

77) Siquidem sana est, quae ab Heynio in recognita Ayrmanniana Tibulli vita (p. LXXIX. ed. III. comprobata esse videtur, a. V. 727. Tibullum carminum l. I. edidisse, non multo post annum 725. Propertius elegg. l. I. in vulgus emisit.

78) cf. Tibulli Vit. pag. LXXI. ed. Heyn. III.

79) Vulp. Prolegg. p. XVIII.

80) v. c. III, 20. cf. Barth. Praef. p. LXXVIII. et IV, 3. cf. Barth. Praef. p. LXXXIV.

publicum emissos esse. Porro ad hanc sententiam confirmandam duo maxime faciunt versus ipsius Propertii:

„*Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro*“ (II, 24, 1.)

et „*Et turpis de te jam liber alter erit.*“ (II, 3, 4.) Quae quum in II. libro dicantur, certe primum aliquanto prius, quam secundum, notum i. e. editum fuisse apparet. Cf. II, 5, 17. sq.

„*Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,*
Gloria ad hybernos lata Borysthenidas.“

Hinc i. e. ex carminibus in Cynthiae laudem compositis [81]). *Gloria* autem *lata ad Borysthenidas*, quanquam ὑπερβολικῶς dici intelligitur, tamen dici non potuit, nisi poëta, quum hoc in II. libri carmine scriberet, jam tum I. libro edito aliquam nominis famam adeptus fuisset. Quare Lachmanno, qui [82]) librum II. uno tantum post I. mense editum esse conjicit, haudquaquam assentior. Verum quidem est, quod ex II, 2, 1. sqq. docet, l. II. uno mense post, quam annuum illud dissidium compositum fuisset, editum esse. Sed, quod hujus discordiae in primo libro mentionem fieri dicit, non sane ex I. elegia, quam argumenti loco affert, et ne ex v. 7. quidem et v. 36., quibuscum III, 16, 9. comparat, clarum est. Hoc enim in carmine poëta non vult dicere, se totum in annum a Cynthia pulsum esse, sed totum per annum Cynthiam, puellam levem sibi nondum satis potuisse conciliare. Quod ut credam, praeter ea, quae modo attuli, argumenta duo maxime in hoc ipso carmine efficiunt, primum quod Milanionis exemplo v. 9. sqq. usus est, quod, nisi se a culpa sensisset liberum, facere non poterat, deinde, quod v. 21. sq. diserte dicit:

81) Vid. Intpp. ad h. l. et Lachm. Praef. p. XXIV.

82) Praef. p. c.

„*En agedum dominae mentem convertite nostrae,*
Et facite, illa meo palleat ore magis."

Neque obstant vv. 5. et 35., qui, quomodo sint intelligendi, vid. Barth. in Nott. ad. h. l. coll. I, 17. et 18.

De ceteris autem libris nihil ejusmodi, vel aliunde, vel ex ipso poëta compertum habemus, ex quo ad stabiliendum argumentum, in diversa eorum natura positum, aliquid accedat ponderis.

Jam sequitur, ut quando singuli libri videantur editi esse, ex temporum indiciis, uno quoque in libro obviis, judicemus. Haec quidem iudicia, tum ex ipsius poëtae vita, tum ex illius aevi historia Vulpius, Barthius, Lachmannus repetierunt. Sed quaecunque ex Propertii vita afferuntur, testimonia pleraque omnia ejusmodi sunt, ut diversis quidem temporibus libros diversos editos esse, neque vero, quando singuli deinceps sint editi, comprobent. Quod quidem tempus, quanquam etiam alterius generis indiciis non definitur, tamen, ante quem annum ponendum non sit, patet. Idcirco singulis e libris earum rerum, quae quando sint factae, aliunde constat, deligenda est omnium novissima. Quae, si certa est ejus loci, ubi legitur, scriptura, documento est, non ante illum annum, quo haec res accidisset, potuisse eum, in quo commemoretur, librum in vulgus emitti. Jam igitur de singulis videamus.

Ac primum quidem librum non post a. 727., quo Octavianum cognominatum Augustum esse accepimus, editum esse, propterea quidem, quia nullum in hoc volumine istius nominis vestigium invenitur, non ineptum est conjicere. Sed Propertium si tristi illa Octaviani pertica [83]) bonis suis privatum esse meminerimus,

83) Propert. IV, 1, 130.

hujus injuriae memorem non prius, quam in Maecenatis amicitiam et in spem recuperandi patrimonii adductus esset, blando Augusti nomine usum esse, non est improbabile. Huic autem viro poëta noster demum hoc libro edito innotuisse videtur [84]). Itaque quum non manifestum sit, utrum noluerit Propertius Augusti nomen commemorare, an non potuerit, hunc librum non post annum 727. publicari potuisse, non liquet. Sed ante quem annum liber iste edi non potuerit, certius nobis indicat locus, I, 6, 19. et 20.

„*Tu patrui meritas conare anteire securis,*
Et vetera oblitis jura refer sociis.

jura referre foris, codicis Perrej., Vatic. II., Heinsiani et Burm. II. lectio, neque eundem, quem altera, ut Strombeckio videtur [85]), neque aptum fundit sensum [86]). Poëta vero hoc in carmine Tullo cuidam [87]), in Asiam profecturo [88]), quod comes esse nequeat, sese excusat. Hunc autem Tullum tum ad Mysos, Augusto graviores res in Aegypto gerente, *oblitos* i. e. posthabitos, et ob factam interim rebellionem [89]) castigandos (hoc est

84) cf. Barth. in Nott. ad Vulpian. Propert. Vit. Praef. p. LXVII. coll. p. LXXXI.

85) in libello vernaculo, cui hic est titulus: Die elegischen Gedichte des Properz 1803. p. 36.

86) Vid. Hemsterhus., cujus sententiam, antequam noram, ipse amplexus eram, ad h. l. in ed. Burm. Prorsus inepta est, quam nescio quibus in codd. invenit Heinsius, lectio: „*jura referre sonis;*“ neque necessaria amicissimi Kaestneri conjectura: „*jura referte focis*“ in lib., Animadvv. in quaedam Lucani et Propertii loca complectente, (Jenae 1812. edito), proposita p. 32. sq.

87) De quo vid. Barth. Clav. et Praef. p. LXXX., ubi tamen cavendum est, ne ei, Tullum, qui I, 1. a Propert. commemoretur, ab eo, ad quem alia carmina, in his hoc quoque, miserit, diversum esse temere opinanti, fidem habeas.

88) Vid. huj. el. v. 1. sqq.

89) cf. Dio Cass. p. 463. ed Leunclav.

illud: „*jura refer*" [90]) profecturum fuisse, inde colligo, quod in Mysia eundem diu commoratum poëta postea [91]) admonet, ut Cyzico tandem relicta Romam revertatur. Mysorum autem ista castigatio ad a. 725., quo Caesar Octavianus V. et Sext. Apulejus coss. fuere, referenda mihi videtur. Auctor est Dio Cassius, qui [92]): „*τῶν Μυσῶν*, inquit, *τους μὲν ἐκ των κεχειρωμένων ἐπαναςάντας δι ἑτερων* (Caesar Octav.) *ανεκτησατο ἐπὶ δὲ Ἀσταχιους-αυτος ἐπεςρατευσε-ταυτα μὲν ἐν χρονῳ* (a. 725.) *ἐγένετο*. Propertius ergo Tullum, militem et fortasse legatum vel ducem illius exercitus, qui sine Augusto in Asiam profecturus erat, hoc modo hortari recte potuit: „*Et patrui meritas conare anteire securis*" [93]). Ex hoc igitur loco perspicuum est, librum I. non esse ante annum 725. publicatum.

Deinde in l. II. earum rerum, quas aliunde cognitas habemus, novissima est, quae in a. V. 730. cadit, infelix illa Romanorum adversus Arabes expeditio; de qua Dio [94]) sic narrat: „*ἄλλη τις*, inquit, *ςρατεια καινη αρχην τε ἅμα καὶ τέλος ἔσχεν*. De qua haec Propertii verba [95]):

„*Et domus intactae te tremit Arabiae.*"

accipienda sunt [96]). Neque igitur ante a. 730. hic liber in publicum editus videtur. Idem vero aliquot

---

90) Locutio: „*sociis vetera jura referre*," nullus dubito, quin idem significet, quam quod apud solutae orationis scriptores, ut ap. Liv. XXIV, 26. et XXX, 33., obvia: *in antiqui juris formulam restituere* i. e. in suam potestatem redigere.

91) Propert. III, 22.

92) p. 463. ed. Leunclav.

93) De hoc Tulli patruo v. Barth. Praef. LXXX.

94) p. 516. ed. Leunclav.

95) II, 10, 16.

96) De hoc anno V. 730. vid. Barth. Praef. p. LXXXIII.

annis post, quam cum Cynthia poëta consuescere coeperat, evulgatus esse, his ex versibus [97]) intelligitur:

„*Ergo tam multos nimium temerarius annos,*
Improba, qui tulerim teque tuamque domum.“

Qui quot anni fuerint, neque ex hoc loco, neque ex III, 25, v. 3. definiri recte potest.

Tum, quod librum III. attinet, hic non ante annum V. 733. editus esse mihi videtur. Duobus enim in locis commemoratur, et non futura quidem adhuc [98]), sed jam confecta expeditio Parthica, primo [99]):

„*Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi?*“

deinde [100]):

„*Parthorum astutae signa remissa fugae.*“

quibus verbis idem Dio [101]) lucem affundit: ὁ Φραάτης, inquiens, φοβηθεὶς, μὴ καὶ (Αὔγουστος) ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῶν (τῶν Ῥωμαίων) καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, ἀπέπεμψεν. Haec autem M. Lollio et suffecto in Augusti locum Q. Lepido coss. a. V. 733. [102]) gesta sunt. Ex hujus ergo rei commemoratione si judicare licet, hic liber tribus annis post l. II. publicari potuit.

Quarti denique libri editio non est ante a. 738. facta. Neque enim prius scripta est elegia hujus libri ultima, qua, quae hunc in annum incidit, mors Corneliae lugetur. — Utrum autem post hunc annum a poëta nostro carminum aliquid sit editum, nec ne, incertum est. Sed librum IV. ab ipso editum esse;

97) Propert. II, 8, 13. sq.

98) ut Barthio videtur Praef. p. LXXXIII.

99) Propert. III, 12, 3.

100) Propert III, 18, 54.

101) Dio Cass. p. 525. ed. Leunclav.

102) Dio Cass. p. 524. ed. Leunclav. add. Jo. Alb. Fabricii Notatio Tempp. Augusti p. 42. sq.

quanquam Barthius [103]) et Lachmannus [104]), aliam utERque ob caussam, negant, nihilo tamen minus affirmandum puto. Nam si Barthius, ut videtur, ex II, 13, v. 25. argumentatus, poëtam ibi, quum unius libri, nondum inchoati, i. e. III. mentionem fecisset, etiam alterum ineditum, i. e. IV., si quatuor carminum libros edidisset, non tres tantummodo memoraturum fuisse, falso conclusit. Nonne poëta intra octo annorum spatium trium tantum librorum edendorum consilium, quod an jam tum ceperit, incertum est, mutare et quatuor edere libros potuit? Lachmannus autem, qui hujus libri carmina rudia adhuc et indigesta post Propertii mortem ab ejus amicis inventa et vulgata esse existimat, mirum quantum fallitur. Nam, si qua alia, haec in primis perpolivit. Id quod quum aliunde demonstrari potest, tum ex sola numerorum praestantia, de qua supra dictum est, satis superque clarum est. Praeterquam autem quod ad probandam de postuma libri IV. editione conjecturam, quae afferuntur, rationes nihil valent, ad eandem etiam infirmandam, ipso carmine idoneum continetur argumentum. Ut enim ceteris libris poëta primum quodque carmen tanquam prooemium praemisit, sic etiam hujus libri el. I. praefationis loco, et ceteris quidem jam ad edendum paratis carminibus, composuit. Quippe quum ad pangenda carmina didactica se non idoneum, neque plura posthac facturum esse [105]) fateatur, quod nonnulla ejus generis [106]) hoc in libro exhibuerit, lectoribus

---

103) Barth. Praef. p. LXXXIII.

104) Lachm. Praef. p. XXVIII. et Not. 1. libr. ult. et 1. p. 330. sq.

105) Propert. IV, 1, 72. sqq.

106) ell. 2. 4. 6. 9. et 10.

primo in carmine sese excusare velle videtur. Ut autem, reliqua hujusmodi carmina antea jam ad edendum parata fuisse, mihi persuadeam, duabus adducor rationibus. Primum quidem inepte fecisset Propertius, si, qualia se minus propitia Minerva pangere intellexisset, talia plura postero tempore exarare animum induxisset. Deinde vero, si illud eum modeste [107]) magis, quam vere, dixisse existimes, tamen duo quidem hujus libri carmina [108]) jam diu ante, quam hic liber publice prodiret, confecta fuisse, probabile est. Quod si verum est, carmen I. a poëta et prooemii loco, et, quam reliqua hujus libri omnia, serius factum esse, non est, cur demum post poëtae obitum hic liber publicatus esse putandus sit.

Ex his quidem, quae de diversis quoque in libro novissimorum temporum vestigiis disputata sunt,

librum I. non ante annum V. 725.
— II. — — — — 730.
— III. — — — — 733.
— IV. — — — — 738.

edi potuisse clarum; sed, an his ipsis aut quot annorum intervallis libri singuli sint editi, incertum videtur.

Cap. IV.

Denique superiori anno Lachmannus, quos, in tollenda hujus loci difficultate perdidisse operam aut spem abjecisse intellexerat, interpretes et homines criticos hucusque omnes superare sibi proposuit.

107) Quae quidem modestiae laus in Propertium non cadit. Cf. III, 1, 5. sq.

108) el. 3. et 7.

Librum enim secundum e duobus libris coaluisse, demonstrare studuit, tribus hanc in rem allatis rationibus. Ac primum quidem non integra ad hanc usque memoriam omnia, maxime vero lacera secundi libri carmina pervenisse ratus, magnam ejusdem libri partem interiisse et a scribis reliquam conjunctam esse cum tertio libro, secundi e vulg. rec. hucusque posteriori parte habito, conjecit sagacissime. Deinde ad hanc opinionem confirmandam hemistichion illud: „*si tres sint pompa libelli*“ affert. Quod quum ad l. III. pertinere ipsa sententia arguat, non hoc solum, in quo legatur, sed reliqua carmina deinceps omnia non secundo, sed novo alicui libro tertio accensenda esse opinatur. Quid? quod ne de initio quidem illius novi voluminis nos in ignoratione versari vult, ab el. X. „*Sed tempus*“ etc. ejusdem carminum seriem incipiens. Hac enim el. poëtam Augusto istum librum dedicasse et se in posterum ipsius de imperio merita celebraturum promisisse suspicatur. Atque vir doctus, nescio, cur, hoc argumentum tertium ad stabiliendam conjecturam putat esse gravissimum. Itaque, numero librorum unius accessione aucto, tertium hucusque ita perperam inscriptum, quartum nunc inscribi et quartum pro quinto haberi jubet. Jam vero istius conjecturae probabilitatem argumentorum delibrando pondere diligentius examinabimus.

Primo igitur, quod non integra ad nos pervenisse dicit Propertii carmina, tantum abest, ut negare audeam, ut, si non alias ob caussas, certe propter l. IV. duos locos lacunosos [109]), quos Lachmannus in rem suam ne commemorat quidem, concedendum esse existimem. Praeterea idem vir doctus duos ver-

---

109) el. 5. v. 62. et 9, 42. cf. Barth. Praef. p. XII. Not. r.

siculos affert, in superstitibus Propertii carminibus desideratos, alterum e Servio [110]:

„— — — *testes sunt sidera nobis.*“

alterum e Fulgentii libro de prisco sermone [111]:

„*Dividias mentis conficit omnis amor.*“

Quorum uterque dubius est. Servius enim, non fideliter suppeditante memoria, versum Propertii [112]:

„*Sidera sunt testes et matutina pruina,*“

inverso verborum ordine et, addito in fine ad complendum hemistichion, pronomine *nobis*, dimidium pro more suo memoriter citavit. Fulgentium autem, ut alias, memoria lapsum alius poetae versum Propertio adscripsisse credunt. At utcunque hoc est, hic illic aliqua quidem in Propertii carminibus deesse non infitior. Sed etiamsi paucorum distichorum lacunas passim animadverti, non tamen ea sum sagacitate, ut vel in ceteris vel in II. libro magni illius hiatus vestigia inveniam. Neque me ad credendum inducit, idcirco allatus a Lachmanno, locus Ovidii [113]:

„*Multaque dat tali furti praecepta; docetque,*
Qua nuptae possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi legiturque Tibullus
Et placet, et jam te principe notus erat.
Invenies eadem blandi praecepta Properti;
Districtus minima nec tamen ille nota est.

H. l. unice interest scire, quo pronomen *eadem* v. 265. referendum sit. Quod si ad universam v. 261. sq. sententiam referas, haud secus a Propertio, quam a Tibullo, fallendorum conjugum praecepta scripta fuisse, et, quod talia non supersunt, temporum injuria periisse

110) ad Virgil. Ecl. V, v. 21.

111) s. v. dividia.

112) Propert. II, 9, 41.

113) Ovid. Trist. II, 461. sqq.

existimes necesse est. Ita Lachmannus locum cepisse mihi videtur. Hic enim brevissime: „*ubinam*," inquit, *inveniemus* (ejusmodi praecepta scil.), „*quum* ejusmodi praecepta *nulla* hodie in Propertii carminibus *legantur*." — Nam si pronomen illud recte ad sola verba v. 261.: „*furti praecepta*" [114]) revocasset, et de re amatoria omnino data intellexisset, non erat, cur vir doctus sollicite quaereret, ubinam talia in superstitibus hodie carminibus inveniantur. Talia enim ubivis apud hunc poëtam, v. c., ut unum duntaxat carmen nominasse sufficiat, I, 3. leguntur. Atque etiam se ipse Propertius generalia amandi praecepta scripsisse [115]) dicit:

„*Non tamen haec* (praecepta cf. v. 79.) *tibi venient ingrata legenti,*
Sive in amore rudis, sive peritus erit."

Ejusmodi vero, cujusmodi Tibullum, praecepta amandi non potuisse Propertium dare, liquidum est, si modo meminerimus, alterum Neaeras et Delias, nuptas videlicet, alterum Lycinnam amasse et Cynthiam, innuptas virgines. Ex hoc igitur Ovidii loco non recte posse colligi arbitror, magnam aliquam Propertianorum carminum partem pessumiisse. Sed etiamsi, quod non concedam, aliorum Propertii librorum nos probabiliter jacturam fecisse concesserim, tamen pro ratione servati illius codicis primarii, de qua supra dictum est, in secundo libro tantum potuisse hiatum existere, nemini cuiquam, puto, potest probabile videri. Reliquum utrumque argumentum quum non in demonstranda lacunae probabilitate, sed in ejusdem investiganda sede versetur, cum illo, de quo expositum, simul corruit. At, quia horum caussa illud videtur excogitatum esse, nos ista quoque,

---

114) Furtum de innuptarum aeque, ac nuptarum, amore dicitur. Cf. Passerat. ad Propert. II, 30, 28. add. Gierig. ad Ovid. Met. X, 557.

115) II, 34, 83. sq.

qualia sint et quantum valeant, considerare oportet. Eorum alterum, quod pro graviore habetur, illud est jam saepe decantatum distichon:

„*Sat mea sat magna est, si tres sint, pompa libelli,*
Quos ego Persephonae maxima dona feram.“

Quod ob eam, quam videtur fundere, sententiam, ut ceteris, ita Lachmanno alienum a secundo esse, et ad ipsum tertium librum pertinere visum est. Non vero satis possum mirari, quod idem quarto libro adjudicare, hucusque in mentem venerit nemini. Manifestum est enim, eum, qui, ut hoc in carmine Propertius, velut animam agens et de instituenda pompa funebri praecipiens, tres suorum carminum libros in exsequiis sibi praeferri cupiat, eosdem jam antea publicasse, et, praeter spem ex morbo refectum, postea demum potuisse in quarto aut etiam posteriore aliquo libro tale carmen testamentarium edere. Hunc in modum qui disputet, si Lachmanni sequatur exemplum, omnes criticos ad hunc usque diem caecutire potuisse mirabitur, neque dubitabit secundum in tres libros dispescere. Sed vertam in seria ludum.

Venio igitur nunc ad alterum argumentum, positum in II. 1. el. 10.

„*Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis etc.*“

quod quale sit, hoc diligentius considerandum est, quo plus in confirmanda conjectura momenti habere Lachmanno [116]) videtur. Ab hoc enim carmine novi libri initium constituit; idque duas potissimum ob caussas, tum, quia et hujus ipsius carminis initium et id, quod praecedit, extremum [117]) mutila esse et multa inter utrumque carmina excidisse opinatur, tum quod hoc carmine poëta sese Cynthiam satis cantasse et Augusti laudes celebraturum dicit. Sed harum caus-

116) Lachmann. Praef. p. XXII.

117) el. 9. rec. vulg. „*Iste quod est*“ etc.

[illegible] mihi satis probatur. — At primum quidem, quominus multa h. l. deesse credam, duo me prohibent, et quod in codd. Mss. Posthiano sive Groningano, quem recte Lachmannus ceteris praefert omnibus, Palatino, Vaticano etc. haec elegia superioris duobus distichis postremis [118]), quanquam non recte, adnectitur; et, quod, si qua hoc quidem ineunte carmine desunt, non multa debent, et facili conjectura possunt suppleri [119]), in praecedenti autem carmine nulla sunt, nec parvae, nec magnae lacunae vestigia. Neque enim, quae magno hiatu distinerentur, ea ne ob infrequentem quidem particulae *sed*, ab initio carminis obviae, significationem a librariis conjuncta esse credo. Si tamen particula ista, quae etiam ἐλλειπτικῶς potest accipi [120]), h. l. aliquos versus omissos esse indicet, hoc non ad magnum multorum praecedentium carminum defectum probandum valet. Id enim ex praecedenti carmine demonstrandum est. At sane Lachmannus eorum tuetur sententiam, qui inde a v. 1 — 52. carmen IX. „*Iste quod est*“ etc. tribus fragmentis [121]) constare opinantur. Sed si meminerimus, ut ceteros poëtas elegiacos, ita nostrum quoque post longam saepe digressionem rursus se ad rem aut personam primariam vertere, et in fine, praesertim Propertium, ad sententiam, ineunte carmine tractatam, redire, cum aliis, tum Barthio, qui id in hac quoque

118) el. 9, v. 49. sqq. „*Non ob regna magis*“ etc.

119) Vid. intpp. ad. h. l.

120) Cf. Vulp., de vi particularum *sed* et *at* in orationis initio occurrentium, ad h. l.; adde Horat. Tursell. s. a. *sed*, quod pariter, ut apud Graecos δέ v. c. Eurip. Hel. v. 142. et ἀλλά vid. Hermann. ad Viger. p. 812. ed. II. dici solitum.

121) Primum fragm. inde a v. I. „*Iste quod est*“ — usque ad v. 40., secundum inde a v. 41. „*Sidera sunt testes*;“ — usque ad v. 48., tertium inde a v. 49. „*Non ob regna magis*“ usque ad v. 52. „*Mortem ego*“ pertinet.

elegia factum esse ostendit, assentiri non dubitabimus. At etiamsi haec tria unius carminis segmenta esse sumserimus, inde tamen non multa, sive tot, quot uno fere libro comprehendantur, carmina periisse consequitur.

Deinde vero, cur vir doctus Propertium hoc carmen, in quo se Augusti res gestas celebraturum promitteret, non potuisse, nisi in principio libri, quem ipsi dedicasset Caesari, ponere censeat, non justam caussam reperio. Nonne hoc carmen seorsim editum ad Augustum mittere, annon Maecenati sive hujus ipsius aliusve patroni aut amici hortatu, sive sua sponte illius se praeconem spondere potuit? Haud sane sperare potuisset, Augusto se commendatum iri, si plenum suis in Cynthiam amoribus librum sacrare voluisset. Quare ita existimo, Propertium, qui edito demum primo carminum libro Maecenati innotuisset[122]), antequam secundum vulg. rec. librum publicaret, hoc carmine separatim scripto illius se voluntati satis facturum et aeque tersis, quam Cynthiam, numeris reipublicae Romanae dominum laudaturum promisisse, ejusque rei tum nonnulla[123]) quidem pericula vere fecisse, sed infeliciter; aut invitum hoc in genere periclitatum, illud consilium mox mutasse. Id certe l. II. el. I. significat. Atqui si hanc, ut primam quamque librorum omnium, elegiam, reliquis jam ad edendum paratis scriptam esse ponimus, patet, poëtam se hoc carmine Maecenati excusare voluisse, quod, viribus suis diffisus, promissis non staret, et, quam res Augusti et ipsius merita, suam cum Cynthia consuetudinem canere mallet. Quod si hujus carminis X. caussa primum scriptum est, utrumque uno in libro vulgatum sit necesse est. Quae quum ita sint, neque

122) vid. Barth. Vorlesungen über einige Elegien d. Properz. Dresden 1775. pag. 5. coll. ejusd. Praef. p. LXXXI.

123) Ita IV, 6. „de pugna Actiaca." Quam el. ob argumenti praestantiam non statim edidisse, sed, quo magis poliret, nonum in annum pressisse auctor videtur.

hoc aut antecedentibus carminibus, neque el. 13. nobilissimo illo disticho, neque etiam codd. conditione Lachmanni conjectura confirmari et ne leviter quidem posse defendi mihi videtur.

Cap. V.

Facilior est in promptu expediendae difficultatis ratio, quae nonnisi in alia loci interpretatione est posita. Hucusque omnino omnes Propertii interpretes propterea hoc in loco haeserunt, quod tres a poëta libros commemoratos esse crederent. *Libellos* scilicet ad unum omnes de carminum voluminibus accipiunt. Sed meminisse debemus, *libello*, ut deminutivo nomine, non modo librum sive magnam aliquam multorum foliorum vel carminum comprehensionem, verum etiam quodvis carmen, etiam brevissimum consuevisse significari. Ita Cicero [124]: „quem (Sullam), *inquit*, nos in concione vidimus, quum ei malus poëta de populo *libellum* subjecisset, *quod epigramma* in eum *fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis*.“ Eadem significatione hoc nomen adhibuit ipse Propertius [125]:

„*Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli*
Attulerint nostri;

idem [126]: „*I, quaeso, et tristes istos compone libellos.*“

Neque igitur quidquam obstat, quominus etiam II, 13, 25. hoc nomen ita interpretari liceat. Immo etiam duo praeterea sunt in hoc ipso loco hujus interpretationis adjumenta: alterum, quod vis oppositionis augetur, si parva, nedum volumina, sed carmina tantum maxima Proserpinae dona futura esse dicantur; alterum, quod tum illud nomen adjectivum *magna* habet, quo in membro opposito referatur. Perspicuum est enim, ut in

---

124) Orat. pr. Arch. c. 10.

125) I, 11, 19.

126) I, 9, 13.

illis verbis: „*libelli - maxima dona*“ parvitatis et magnitudinis, sic etiam frequentiae et paucitatis notiones in his: „*magna pompa* — *tres libelli*“ poëtam, quo clarius se a splendoris et magnificentiae amore alienum esse significaret, de industria voluisse sibi invicem opponere. *Tres* enim, ut jam Vulpius ad h. l. monuit, pauci dicuntur. Sed meminisse juvat, hoc vocabulum sic tum modo posse intelligi, ubi vocabulo, quo contrarium significetur, sit oppositum. Sic apud Plautum Mil. Glor. IV, 2, 28.

P. „Brevine, an *longinquo* sermone? M. *Tribus* verbis.“

apud eundem Trin IV, 2, 121.

Ch. „Te *tribus* verbis volo. —
S. vel *trecentis*.“

in Catull. I, 5.

„— — quum ausus es, Corneli, unus Italorum
Omne aevum *tribus* explicare chartis.“

His ita disputatis, singula distichi membra probe cohaerent inter se omnia, et, si, quae proxima sunt, circumspicere volueris, nil huic interpretationi obstare intelliges. Propertius enim omnino videtur hoc voluisse dicere: Non magna mihi velim sit in meo funere pompa imaginum, sed trium duntaxat carminum (libellorum). Haec, quanquam pauca, tamen ad celebrandam pompam funebrem vel sola mihi sufficiunt, utpote luculenta non acceptae a majoribus, sed partae meopte studio gloriae. Atque eadem, quantumvis parva, tanti facio, ut non dubitem, quin digna sint, quae dono dem Proserpinae.

CORRIGENDA.

Lege p. 1. v. 18. — ostentare; — p. 4. v. 27. — Ad — v. 29. — composuit: — p. 21. v. 13. — uni versus p. 27. v. 25. — — v. 33. — elegiaci — p. 30. v. 18. — levem, — p. 31. v. 3. — 6. et 35. — v. 7. habemus v. 12. indicia. Cetera, lector benevole, oculis condones.

Θ É M A T A.

I.

Forma ὁ, ἡ, τό, *ubi demonstrat, pronomen est, ubi definit, articulus.*

II.

Tyrtaei nomine quae supersunt carmina, non est, cur pro spuriis habeantur.

III.

Albius ille apud Horatium Tibullus poëta esse videtur.

IV.

Caussa, cur Romanorum poëtae elegiaci puellas suas falsis nominibus in carminibus praedicarint, non tam in metro, quam in famae cura quaerenda est.

V.

Tibulli amasia, quae apud Horatium ficto nomine Glycera dicitur, alia fuisse videtur, quam Deliae aliisque nominibus ab ipso poëta in suis carminibus appellatae mulieres.